

*Paupertas, veniam dabis, recede.  
Causa est tam subiti, novig voti  
Irrisum volo Zoilum videre.*

## CELLULA. I.

### §. 1.

**H**aut injuste, ut opinor, agimus, si paucis ea, quæ premonenda sunt, præmittimus, & cum primis afferimus, quod Deus sit ens reale independens, quod est citramentis operationem & ponit aliquid in re, estque aliquid positivum. Ens enim rationis non est DEUS ter Optimus ter Maximus, quia ens rationis ita est in intellectu, ut alias neque esse habeat, neque habere possit, e. g. σιδηροξυλον, homo irrationalis, purgatorium, ein hölzerne Wendelstein/ ein steinern Eisen / sunt talia quæ neque sunt, neque esse possunt, & consequenter nomine entis rationis venire possunt. Quum verò DEUS sit citramentis operationem, uti ex lumine naturæ ipissimum DEUM non quidem primariò, sed secundariò cognoscimus, haut trepidè exclamamus: DEUS est ens independens, reale positivum, qui que citramentis operationem in re aliquid ponit. Hinc quoque hunc in modum argumentamur:

*Quicunque in se habet existentiam citramentis operationem, ille est Ens. Atqui Deus habet existentiam citramentis operationem. E. DEUS est ens. Minor proposicio, nisi quis planè velit Deum abnegare, negari potest minime: Major confirmatur exinde: quia Ens per existentiam tanquam per suam rationem formaliter est.*

**§. 2.** Heic quippe non pauci regerunt, dicentes, quod existentia sit id, per quod aliquid est extra suas causas, quando autem res à causis jam est producta, tunc dicitur illa res